

§. 3.

Nec laminae fronti applicandae aliis gentibus praeter Judaeos ignotae erant, siquidem *Paschalius in libro de coronis edit. Lugdun. Butavor. in 8. p. 269.* scribit, laminas ferreas frontibus fuisse a militibus applicatas, si conflagrare cum hoste cuperent.

§. 4.

Si autem indagetur, qui factum sit, ut tiarae apici imponeretur lamina, inde videtur natus error, quod illa lamina cum tiara sacerdotali constringeretur, ut recte ex *Exod. 28. v. 36.* docent *Joannes Lightfoot Operum T. 1. edit. Roderodamensis in fol. p. 682.* & *Joannes Henricus Otho in Lexico Rabbinico Philologico edit. Genevensis in 8. p. 547.*

## THESIS VII.

Sacerdotum coma ita tondebatur, ut infra aures, non supra demeretur, & aures tegerentur crinibus; quod si non fieret, sed aures apparerent nudae, tonsio erat idololatrica, sacerdotibus interdicta.

§. 1.

Nostra aetate sacerdos Hebraeorum nudis auribus a nonnullis pingitur, cum tamen *Levitic. 19. v. 27.*  
C
injun-